

dito Collega Puffendorffio. Puffendorffius enim articulis suis, ut vocant, interrogatoriis & inquisitoriis deprehendit in illis Christianis desperationem quandam felicitatis in hac vita obtinendæ, eo quod illa plebs perpetuis cum calamitatibus colluctaretur: ex quo adacti sunt ruere in mortes quibus pietas & religio prætegebatur; maxime cum mors illis persuaderetur ab Apostolis tanquam medium ad futura æterna gaudia: sic enim Puffendorffius loquitur in scripto contra Bullam Clementis IX. & fere similia in libello de habitu Religionis Christianæ habet, quem libellum aureum certatim vocant heterodoxi Juris naturæ scriptores. Hac igitur confessione à Christianis per Puffendorffium extorta, Collega iste, auctor spiritus legum, opportunè advolasset, omne suum pharmacopolium late explicans. Per suum enim spiritum legum & novas rationes persuasisset Christianis illis amare patriam suam, obedire Trajano Jovis cultum imperanti, amare regimen suum despoticum & natam ex illo inopiam, servitutem, amare denique statum suum in quo se tunc inveniebant. Triplex hinc beatitudo fuisset exorta: Trajano fuissent conservati tot cives ne in supplicia ultro ruerent: Christiani illi fuissent boni cives effecti per novas rationes amandi statum

suum, ab auctore suggestas: & quod est caput, auctor spiritus legum beatissimum omnium mortalium se potuisset existimare, quia his hominibus per novas suas rationes persuasisset amare miseras hujus vitæ, adorare propterea Jovem, obedire Trajano. Nam quod Vita futura deinde in periculo fuisset, nihil refert. Auctor hic Christianis hæc objicientibus dixisset: *vos quidem, quemadmodum Patres, bonum zelum habetis pro vita futura, sed valde modicam cognitionem rerum vitæ præsentis.* Me audite! Puffendorffius autem dixisset: simplices estis vos & ignorantés. Estis jam *cives, & homines.* Ut homines ergo debetis vivere sola ratione tanquam jure naturæ, & juris naturæ finem querere comoda hujus tantum vitæ, querite ergo hæc comoda in appetitu societatis, in appetitu nocendi, in rebus externis. Quid opus est jam mori? *Ut Christiani vero poteritis scopum vestrum querere in altera vita: alius est enim scopus, alia indoles Religionis Christianæ:* nihil illi cum hac vita, differte illam in vitam alteram: modo vivite, edite, ludite, commodis hujus tantum vitæ studete, jura naturæ servate, spiritum legum habete.

201. Ad ultimum observo, auctorem spiritus legum in defensione sua indignari Censori suo,

suo, quod is crediderit, auctorem de Christiana Religione non digne sentire. Se, ait, eximias laudes dicere Religioni Christianæ, eam tueri, ejus excellentiam præ reliquis prædicare, ejus radices in cælo esse dicere.

Equidem id genus verba hinc inde emittit. Sed spiritus ejus aliorum tendit, non ad præelectionem Religionis Christianæ, sed ad indifferentiam. Religionem Christianam laudat non tanquam veram, sed tanquam utilem huic vitæ: eam sicut alias religiones in genere principaliter subordinat civitati & politicæ: beatissimum mortalium se existimat, non si hanc præ ceteris religionem novis rationibus suadeat, sed si novis rationibus unicuique homini persuadeat amare statum suum in quo vivit in quo se invenit, adeoque omnia etiam illa quæ ad statum hunc suum ordinantur, nempe ut Turca amet Alcoranum ordinatum ad despotismum; Ethnicus idololatriam ordinatam ad suam civitatem, & sic porro.

202. Et quando dixit auctor, Christianam Religionem præ ceteris etiam politicæ idoneam esse, hoc non potuit dicere serio, si cetera serio dixit.

Lib. XXVI. Cap. I. ait, hominem regi variis juribus, Naturæ, Divino, Ecclesiastico, ci-

vili &c. Et SUBLIMITATEM RATIONIS in hoc consistere, si scias ad quod jus pertineant res, quæ sunt præcipiendæ aut prohibendæ.

Ipse deinde in sequentibus in se suscipit negotium hoc. Cap. II. tradit differentias tres inter legem religionis & humanam. Imò quod Religionis leges sint immutabiles. Ergo leges Mosaicæ non fuerunt leges Religionis. 2dò quia societati necessarium est ut leges Religionis sint fixæ. Ergo Religionis principium est societas, & huic illa subordinatur. 3tò quod vis Religionis in hoc consistat, quod credatur ei: legum vis in eo quod timeantur. Ergo leges non sunt factæ ad loquendum spiritui seu intellectui, ut ante dixerat, sed ad loquendum cordi seu voluntati. Intellectus non timet: cor timet. Alia differentia, quod Religioni conveniat antiquitas, quia si est vetus, non agnoscimus ea, quæ possent Religioni contradicere. e. g. Quia tempus Apostolorum est remotum, nescimus jam ea, quæ Apostolis opposita fuerunt. Si jam viveret Christus, inveniremus multa, quibus ei contradiceremus: ut quod in principe dæmoniorum ejiciat dæmonia; quod edat & bibat & speculetur nihil laborans quemadmodum monachi; quod cum infamibus

versetur, lictoribus, meretricibus. Religio Christi non haberet vim si esset nova.

203. Cap. VIII. decernit ex RATIONE hac SUBLIMI.

„ Res regulatæ per principia legum civilium non debent regulari per principia juris, quod dicitur, Canonici.

Principia legis civilis sunt, *Bonum*, Religionis principium est, *Melius*. Cap. II. quod ergo regulatum est per principium *boni* non debet regulari per principium *melioris*. Qui furatur ex loco sacro per legem civilem punitur ut fur: & propterea *male* per legem religionis punitur ut sacrilegus, ait Cap. VIII.

Alterum principium legis civilis est, *res hujus tantum vite*, legis Canonice autem *res alterius vite*, ait eodem Cap. VIII. Igitur male ex jure Canonico permittitur *foemina* petere divortium ob infidelitatem mariti, quia hoc pertinet ad alteram vitam, & est respectivum ad ideas pure spirituales, inquit hoc capite VIII. Ergo res hujus vite mire conturbatæ sunt, quod Jus civile per stultos homines & *ratione sublimi* carentes fuerit correctum.

Quando autem differentiam principiorum ait pertinere ad *rationem sublimem*, haud dubie eo spectat, ut correctio talis & usus juris Canonici ac Religiosi in re-

bus hujus vite sit *contra Jus naturæ*, quia est *contra rationem*, & quidem sublimem hoc est certam evidentem. Sic loquitur Puffendorffius. *Ratio sola huic vite, religio alteri imperat.*

204. Quoniam autem permittit nobis auctor, ut ex toto libro detegeremus scopum quem auctor habuit, tametsi illum flosculis interdum circum ornavit, videor tamen mihi scopum auctoris detegere hunc, & ejus dogmatum connexionem idem dicere quod *Optimista*, nempe optimum esse hunc mundum in eoque omnia, quæ jam fiunt, recte & optime fieri.

Illud, quo homo omnium hominum fit *beatissimus* ex mente auctoris, ex ejusdem mente debet esse optimum, vel optimi intentio.

At ex auctoris mente is, qui omnibus, ut nunc sunt, hominibus potest novis rationibus persuadere ut ament suum regimen, suas leges, suam felicitatem in quavis terra in quovis regimine in quovis gradu ubi se quisque invenit; is inquam ex auctoris mente est *beatissimus* omnium hominum; Ergo optimum est, si quisque in quavis regione est, statu, & felicitate maneat, in quo nunc est.

Atqui hoc optimum consequi per suum librum ardentissime desiderat auctor in præfatione, qui locus est proprius in quo scripto-

res

res scopum suum exponere solent: Vide supra Num. 19. & 156. Ergo Scopus auctoris est per librum suum consequi ut maneat quisque qualis est. Europæi manent Christiani, Boreales Lutherani, quia hæc religio convenit ipsorum formæ regiminis, ut dicit Lib. XXIV. Cap. V. Republicanus vero ex eadem ratione manent Calviniani: & meridionales Europæi manent Catholici, absque Inquisitione tamen (Lib. XXV. Cap. 13.) Absque celibatu & monasteriis (supra Num. 143. &c. 172. 178.) Absque Jure Canonico saltem pro hac vita (supra Num. 199. 203.) Absque contemplatione & pœnitentiis cum contemplatione conjunctis (supra Num. 194. 198.) Et ita ut religio Catholica principaliter faciat bonos cives, hoc est amantes hujus vite (supra Num. 163. Num. 199.) Extra Europam autem, est scopus auctoris, ut Turca maneat Mahumetanus, ut polygamus, ut servus, quia hæc est *felicitas* Asiæ propria quam amare per librum auctoris debent homines in Asia constituti (supra Num. 157.) quia aliæ leges, alia religio offenderet clima Asiæ, & Clima Asiæ est terminus exclusivus religionis Christianæ (supra Num. 93. &c. 106.)

Rursus in ipsa Asia varius & idem tamen scopus est Auctoris.

Sinensis debet amare suas leges, mores, ritus in quibus vivit, seu habeat sectam Tao seu Foë: & debet amare fraudulentiam in commercio, quia hæc convenit scopo legislatoris, & est utilis societati, eo quod per eam Sinenses conservarint sibi commercium cum Japanibus: Christianam autem religionem debent odisse, quia est contra felicitatem regionis ipsorum, & offendit ejus clima.

Uno verbo Auctoris scopus non est ut omnes mortales ament & inquirent *optimum*: nam optimum inquit religio (nulla tamen ex præsentibus, quia omnes subordinantur societati *Bonum* præsens tantum quærenti) & auctor non est Theologus, cui curæ sit religio, sed Politicus, cujus scopus est hæc vita non quidem simpliciter ut bona sed ut *utilis*, ut socialis. Igitur auctoris scopus est *Indifferentismus* pro omnibus religionibus, exclusa fere Catholica, pro qua parum indifferentiæ ostendit, eamque tametsi radices in cælo habeat, vult tamen *Caput* submittere utilitati præfenti, sicut illud submittere debent religiones falsæ, quæ radicem tantum in terra habent.

Nempe Scopus Auctoris & spiritus legum est idem qui *Naturalistarum*. Idem qui Calvinianorum, libertatem arbitrii submitten-

L 3

mittentium fato & climatis imperio, quod est præcipuum omnium imperium. Idem qui istorum *Honestorum puerorum*, *Ehrliche Kerl*, qui honestatem sibi suo ex cerebro fabricantur.

Quisquis ergo *spiritu legum* in his libris resuscitato vivere velit, & res suas ac rempublicam ordinare, ei vates ego sum, futurum brevi, ut ipse ejusque respublica aut Calviniana fiet, aut novam quandam sectam pariat, aut vel maxime fiat respublica honestorum puerorum der *Ehrlichen Kerl*, qui religionem ad alteram vitam, siqua est, differant.

205. Hæc aliaque multa ex auctoris & ejus spiritus doctrina tanquam meta fluunt, vicennali labore quæsitæ. Cum his tamen omnibus nolim ego contendere, auctorem in ipso suo animo tam nequiter sensisse aut in corde tam mala voluisse: admittam cor ipsius ab his fuisse aversum, & eum errore tantum, non fallendi proposito hos laqueos in via stravisse. Omnem auctori excusationem admittere convenit, ne *malus* dicatur. Dicatur imbecillus, & propositam habuisse *sublimem rationem* (supra num. 202.) sed vires ad eam attingendam defecisse, quemadmodum sæpe contingit fundibulario metam præaltam aut valde distantem petenti. Hoc tamen ipsum & solidi-

tas deficiens huic spiritui, & laquei, qui in ejus libro sunt texti totum manifestandum est; ne multi floribus & virore sermonis decepti laqueos non videant fortassis, iisque se capi permittant. His autem talibus parum prodesset excusare auctorem: auctor non nequitiam sed errore tetendit laqueos: five enim errore sint tenfi five livore, nihil refert ejus, qui capitur.

Quodsi recte ego perfunctus hoc labore sum, DEUM laudo: si peccavi, quod nolim, nec tetigi metam; errore peccavi non crimine, & emendari volo.

206. Post hæc omnia dicet mihi aliquis five palam, five in aurem: Te quidem bonum ac simplicem virum credo: at negare tamen nequis, quin revera ita fit, ut *spiritus legum* dicit. Revera homines & Principes vivunt secundum clima suum: revera quilibet in sua regione se felicem putat, in suis moribus, sua religione: revera religiones coluntur propter societatis civilis utilitatem: Nunquid ita esse agnoscis? Ergo tuæ hæc contentiones sunt inanes speculationes & sophisticationes quas ajunt, pedantismus est, *c' est de la réverie, c' est du jargon*. Tace, ne te omnes, qui mundum agnoscunt, rideant velut delirum & abjecti animi hominem.

207. Huic respondeo ego: Confiteor magnam mundi partem esse talem, qualem mihi (bone politice aut *honeste puer* quisquis es) descripsisti: Et possum ejus imaginem etiam latius depingere. Nimirum revera homines auri sacra fame ardent: cupidini habendi sacrificant amicum, fratrem, patrem, patriam, honorem, fidem, DEUM, animam postremo ipsam. Revera homines superbia vitæ tument, fraude, perjuriis, innocentum cædibus, incendiis certant ut emineant. Revera homines voluptate, luxuriaque pruriunt & fœtoribus delectantur. Revera animam, spiritum, providentiam, justitiam, DEUM negant, abjurant, ei illudunt & convitiantur, hominem à cane & mulo nihil differre. Hæc omnia esse, *fieri* confiteor.

208. Sed & hoc alterum confiteberis mecum, esse quandam aliam humani generis partem, quæ omnia his contraria faciat, & pro virili sua parte facere magno studio contendat. Nempe hi revera aurum, opes contemnant; amicos, sed nec inimicos litem propterea movent, imo libenter in alios impendunt sua, nulla reversionis spe: fidem colunt, à perjuriis abhorrent: honores non suæ eminentiæ causa quærunt per fas & nefas, sed sponte oblatos, nisi sit necesse,

refugiunt tanquam virtuti suæ discrimen parituros: voluptates corporis pro peste habent, iisque adeo non inhiant, ut mallent iis omnibus carere omnino posse: justitiam reginam suam adorant: Providentiam & amant & filiorum ritu reverentur: DEUM, hoc est originem suam ac rerum omnium intelligere, & animam suam ejus inventionem exsatiare ita optant & laborant, ut corpus hoc tanquam hujus voti remoram ipsis grave esset, nisi intelligerent, hanc quoque DEI, quem quærunt, esse legem, à quo sunt omnes omnium rerum leges. Nihil his dulce, præterquam mentem in entium summo occupare: cetera omnia, si à DEO plane abstraherentur, amara, vilia videri. Hi demum naturam humanam pro parte illa spiritali DEO similem ejusque amplectendi capacem sentiunt.

209. Obsecuti hic sumus Auctori spiritus legum. Ille gaudet doctrinas suas insinuarè antithetis. Et nos hic antitheses fecimus. Ille turgentes bello spiritu, nec opinatas, belle sonantes: Nos forte simplices, planas, non phaleratas. Sed antithesis nostra hæc, non in semet contraria sibimet est, sed in se ipsa eadem & unius formæ, contraria est spiritui illi legum & spiritui politicorum & *honestorum puerorum*.

Nos autem quamquam non simus *Spiritus fortes* quales honesti pueri, sed in nobismet sentiamus imbecillitatem nostram, fortitudinem autem nobis pollicemur maximam, si in DEO illo persistamus; nos inquam audemus jam monstrare perversa esse ea, quæ isti objectant.

210. Primum objectant homines hujus mundi esse malos, vitiosos, & cogunt nos hoc fateri. Fatemur id etiam ultro, & scimus. Quid Tum? Hoc nempe tum volunt inferre: ergo spiritus legum recte sensit, felicitatem hanc amandam à quovis esse: spiritum legum in hoc consistere, ut maneat hic mundus qualis est, sive ut maneat malus.

Hæc vestra logica est? Non scitis aliam o pueri honesti? Nos sperabamus insignem aliquam ex vobis sapientiam discere, cum à vobis simplices & ignorantes diceremur. At jam videmus, vos quidem semper pueros esse, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, qui equum fistula arundinea permutatis.

211. Bælius collega vester dixit, homines proclives esse ad malum ab adolescentia sua. Vera dixit. Vos dicitis, homines esse malos. Vera dicitis. Bælius ex hoc intulit, non dari sen-

suum communem: idque inferre nimis est stupidum. Vos inferitis: Ergo debent esse mali, & spiritus legum in hoc consistit ut maneant quales sint. Imo inferitis: Mali negant DEUM: ergo non datur DEUS. Mali fidem violant: ergo non datur fides. Mali in terra hac acquiescunt: ergo nihil aliud datur.

Cur non æque inferitis? Boni DEUM agnoscunt: ergo datur DEUS. Boni contemnunt has utilitates & voluptates: ergo dantur futuræ & quærendæ sunt?

212. Nam vos malos esse, alios porro, à vobis diversos, esse bonos, vestra ipsorum confessione constat. Mundus, dicitis, est proditor, mundus suæ avaritiæ, voluptati, superbiæ postponit omnia & sacrificat. Et fatemini hæc mala mala esse, & his querimoniis personant fora ac templa, malum esse mundum. Ceteri quoque à vobis diversi & diversa sequentes eadem dicunt, dicunt omnia illa esse mala, mundum esse malum. Totum ergo mundum, nempe & eum qui bonus est, & eum qui est malus, habemus fatentem, *malum esse spiritum legum*, qui felicitatem reponat in hoc, si qualis est mundus, talis perseveret, id est *malus*.

I. O. G. D.

# PRÆJUDICIA REPREHNSA PRÆJUDICIO MAJORE.

Ubi ostenditur, eos, qui sæpe hortantur nos præjudicia omnia ponere, hoc ipsum ex Præjudicio majore plerumque dicere:

Auctor Spiritus Legum ut in hoc argumento versetur, examinatur.


AUCTORE

P. ANSELMO DESING

Benedictino Monast. Ensdorf. Congregationis Bavaricæ, Eminentissimi Cardinalis

de Lamberg, Episcopi & Principis Passaviensis &c. &c. Consiliario.

Cum Facultate Superiorum.



PEDEPONTI, vulgo Stadt am Hof bey Regensburg.  
Sumtibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ, 1752.